

esse, meque hoc opus potius ignominiae evitanda, quam honoris acquirendi gratia suscepisse, ne, cum nemo praeter me Havniensium illud suscipere vellet, Patroni neminem hic plane adesse, qui earum rerum aliquam cognitionem haberet, existimarent. Reliquas plagas, postquam impressae fuerint, si jusseris, pariter transmittam. Vale, diutissimeque Naturae vive. Dab. Havniae. D. 29 Martii. 1757.

(26) Generosissimo atque Experientissimo Equiti
atque Archiatro,
Carolo Linnæo,
M. P. F.
Chr. Gottl. Kratzenstein.

Quam libenter Tibi, Vir generosissime, statim post acceptas a Te exoptatissimas litteras, icones conchyliorum operis Regenfussiani a me descriptorum transmissem, singularis tamen cogitandi ratio nostri chalcographi impedivit, quo minus hoc fieri potuerit. Quam blandam etiam ideam ipsi instillarim, de honore in opus suum redundante, si eius in promissa a Te Editione 10ma systematis naturae, quam orbis litteratus quasi devorabit praefame, mentio fieret, noluit tamen nigras mittere tabulas, ne ex illarum contemplatione, tamquam non ut nigrae manerent, sed ut coloribus pingerentur, paratarum, sinistrum de ipsius arte et dexteritate resultaret iudicium. Tabulae vero pictae non citius quam hisce diebus parari et absolvi poterant, quas adeo, cum jam D. Doctor Lamberg, aulae Holmiensis sacerdos, patriam terram repetit, Tuae perspicaciae offero. In emolumentum et honorem Chalcographi optarem, ut haec tabulae adhuc satis maturae advenirent, quo citationibus Tuis in parte conchyliologica Systematis Tui inservire queant. Impressio explicationis ex fine Martii, propter impedimenta quaedam ex parte chalcographi, cessavit. Impressas vero reliquas, praeter jam transmissas plagas simul mitto. Plagae istae sunt tantum supernumerariae. Ordinaria enim forma earum est regalis major; ego vero satius duxi exemplar impressum huius formae non citius, quam opere